

Var.  $\alpha$ : Fulva, capite nigro, fronte medio fulvescente, marginibus orbitalibus basin versus, lorisque flavis, pronoto maculis duabus pone callos positis, scutello toto, corio macula parva humerali aliaque majore media marginis apicalis nec non membrana nigris, pronoto strictura apicali tota margineque basali tenuiter flavis; pectore ventreque nigris, marginibus acetabulorum, areis orificiorum metasthetii, margineque postico segmentorum ventralium flavis; antennis nigris vel articulo secundo medio fusco, pedibus nigris, basi femorum posticorum tibiisque medio late fulvis. ♀.

Var.  $\beta$ : Subpurpurea coeteris ut praecedens signata. ♀.

Var.  $\gamma$ : Ut praecedens, sed etiam limbo basali pronoti medio, limbo scutellari clavi apicem versus commisuraque nigris, macula nigra apicali corii majore, pedibus ut supra vel interdum coxis femoribusque anterioribus medio subpurpureis; pectore interdum magis minusque flavomaculato. ♂ ♀.

*Calocoris tinctus* Dist., Biol. Centr.-Amer., Rhynch. Het., I, p. 267, 2, Tab. 22, Fig. 8.

Var.  $\delta$ : Ut in  $\gamma$ , sed maculis pronoti magis dilatatis et cum macula basali magis minusque confluentibus, angulis posticis stricturaque apicali lateribus interdum nigricantibus, femoribus interdum totis nigris. ♂ ♀.

Var.  $\epsilon$ : Ut praecedens sed pronoto, limbis lateralibus exceptis, vel toto nigro, margine basali tamen tenuiter flava, signaturis hemielytrorum adhuc magis dilatatis, inferne signaturis flavis plerumque angustioribus, femoribus totis nigris. ♂ ♀.

Var.  $\xi$ : Totā nigra, solum margine basali pronoti, margineque apicali segmentorum ventralium tenuiter vel tenuissime nec non areis orificiorum metasthetii marginibusque acetabulorum flavis. ♂ ♀.

*Horcias* (?) *vittiger* n. sp. Superne sordide pallide sulphurea, inferne in castaneum vergens; clypeo, margine basali verticis, oculis antennisque nigris, fronte utrinque callisque pronoti fuscescenti-ferrugineis, pronoto vittis duabus a callis ad marginem basalem ductis, retrorsum dilatatis, scutello vittis duabus basalibus, clavo margine scutellari tenuius, commissura apicem versus late, corio vitta intramarginali nigro-piceis, hoc plaga obliqua media, clavo interne apicem versus cuneoque, limbo exteriori excepto, fusco-castaneis; membrana cum venis pallida; pedibus pallide flaventibus, coxis apice fuscis, femoribus margine inferiore piceo-maculatis, tibiis margine antico et apice, tarsis totis piceo-nigris. ♂. Long.  $6\frac{1}{3}$ , lat. 3 mm.

Sancti Marcos, unica femina.

Caput basi pronoti fere dimidio angustius, vertice feminae oculo circiter  $\frac{2}{3}$  latiore. Antennae articulo secundo primo duplo longiore et margine basali pronoti fere  $\frac{1}{3}$  breviores. Pronotum basi quam apice circiter duplo latius, disco transversim impresso-strigoso et lateribus impresso-punctato. Hemielytra corio fortius, cuneo obsolete punctato.

### *Camptochilella* nov. gen.

Corpus oblongum, glabrum, sat nitidum, capite laevi, pronoto hemielytrisque impresso-punctatis, scutello transversim strigoso; capite pronoto circiter  $\frac{2}{3}$  angustiore, a supero viso pronoto fere dimidio brevius et longitudine magis quam duplo latius, ab antico viso fortiter transversum, vertice (♀) sat angusto, margine postico carinato late arcuato vel medio angulato; loris late arcuatis, capite a latere viso altitudine brevius, vertice, fronte et clypeo ad unum in arcum latum confluentibus, clypeo a fronte solum linea tenui sed profunda discreto, haud prominente, distincte retrorsum vergente, angulo faciali recto, loris inferne haud discretis, genis mediocribus, gula brevissima; oculis